



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
proxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Quæstio 16. An probabile sit, Confessarium, qui in Sacramentali
Confessione novit Pœnitentem ad officium vel prælaturam indignum esse,
posse illi, in electione gratuita & secretam suum suffragium ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

lectorum Schola Lovaniensi *Guilielmus Herinex* qui præclaris meritis recenter Infulam decoravit.

QUÆSTIO XVI.

An probabile sit Confessarium, qui in Sacramentali confessione novit pænitentem ad officium vel prælaturam indignum esse, posse illi in electione gratuita & secreta suum suffragium negare?

Partem affirmativam Authores externi omnino ut probabilem in praxi sustinere non dubitant. Docent eam cum D. Thoma quod lib. 5. q. 6. art. 13. Paludanus dist. 31. quæst. 3. Sotus de secreto quæst. 4. post concl. 4. Petrus de Ledesma in summa cap. 22. dub. 3. post concl. 5. D. Antonius, Nugnus, Deza, Medina, Mart. de Ledesma, Tabiena, & Sylvester, apud Thomam Hurtado tom. 2. tract. 12. c. 1. n. 1369. Pro eadem sententia ferè quadriginta Authores refert noster Sanchez de maztrin. lib. 3. disp. 15. n. 2. Hos sequitur apud Dianam 3. p. tr. 4. ref. 76. Portel, Navarrus, Gutierrez, & alii quos recenset & sequitur Leander à SS. Sacramento de pænit. tom. 1. tract. 5. disp. 10. quæst. 84. Quia, cum suffragium sit occultum, censent neque violari sigillum confessionis, neque Sacerdotem privari suo jure quod habet extra Sacramentum dengandi indigno suum suffragium. Quinimo aliqui apud Sanchez supra, docent ad dengandum teneri, si id judicet bono publico expedire.

Nihilominus, sepositâ authoritate istorum
F 4 Theo-

128 Pars 3. tract. 1. De Opinionum probabilitate
Theologorum, & considerato fine Sacramen-
ti Pænitentiae, hanc opinionem ut per se pro-
babilem non admitto. Manifestum namque
est confessarium non solum obligari ad servan-
dum secretum, sed etiam non posse sic uti
scientia confessionis, ut usus cederet vel in ap-
parens nocumentum pænitentis; cum sic ip-
sa confessio redderetur per quam suspecta &
odibilis. In quæstione autem usus iste cederet
in nocumentum pœnitentis: siquidem per eum
sibi suspectum æquè ac per fractionem ligilli fi-
deles retrahi possint à plena & candida pecca-
torum suorum confessione.

Hinc pro Regularibus universim decrevit Cle-
mens VIII. anno 1594. Ne superiores eā no-
titiā, quam de aliorum peccatis in confessione
habuerunt, ad exteriorem gubernationem u-
tantur. Non parum fortè conduceret, si idem
pro Sæcularibus decerneretur. Interēa non li-
cet nobis generatim sententiam dictorum
Theologorum hic sustinere ob decretum P. N.
Claudii Aquavivæ anno 1590.

QUÆSTIO XVII.

An probabile sit Regularem approbatum ab Ordina-
rio ad confessiones facultarium in una diæcesi,
validè posse ubique confessiones audire, sine ap-
probatione Ordinarii istius loci in quo versatur.

Pro parte negativa breviter respondeo in-
fra Part. 3. tract. 2. cap. 2. pro qua nunc in-
super adduco Suarez de pænit. disp. 28. sect. 6.
Vasquez quæst. 93. art. 3. dub. 4. Granadum
disp. 5. num. 12. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 11.
num. 8.